



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 140. Alia pacis via a Galliarum Rege proposita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

cunda Pontificis humilitatem novo specimine probandam expectari, tertiam vero ab ejus æquitate, quartam denique ab illius benignitate ac clementia dependere aiebat. Hæc Æneæ oratio tum a Papa, tum a Cardinalibus summopere commendata est.

§. CXL.

Alia pacis via a Galliarum Rege proposita.

Rex Franciæ, cum novi Concilii Generalis convocationem haud levibus incommodis obnoxiam præsentiret, diversam a Germaniæ Principibus sententiam fovebat. Quamvis enim Basileensis Synodus Generale Concilium in loco, quem Imperator, & Electores nominandum duxerint, celebrari consensisset, & quæstio de auctoritate Conciliorum supra Papam in Concilio Constantiensi (*) decisa fuisset, nihilominus hæc eadem definitio in perpetuam discordiarum scaturiginem degenerabat. Huic accessit, quod Basileensium cœtus fere penitus evanuerit,

(*) Hanc quæstionem legitime fuisse decisam minime constat, hancque in rem consuli poterunt annotationes, quæ in fine tomi XXV, necnon in duobus sequentibus passim occurrunt.

rit, Præfulum potissimis partim inde di-
gressis, partim ibidem vita functis. Sæcul. XV.
A C. 1447.

Quapropter Rex ex consilio Senatus sui
aliam reddendæ concordiaë viam propo-
suit tribus capitibus comprehensam.
I. Omnia gesta & acta, omnesque censu-
ræ & sententiæ ab utraque parte ultro
citroque promulgatæ habeantur tanquam
infectæ, ac nunquam publicatæ. II. Eu-
genius eodem modo, quo ante inchoa-
tum Concilium Basileense, pro unico ac
vero summo Pontifice colatur. III. A-
madæus Sabaudus Pontificatum abdicet,
quo dimisso tamen supremum, quem in
Ecclesia concedere fas esset, dignitatis
locum obtineat, illique, qui ejusmodi fa-
ctioni in Basileensi Concilio adhæsis-
sent, si huic concordiaë accedant, digni-
tates, atque honores suos aut conservent,
aut recipiant.

Nil propius videbatur, quam ut Ama-
dæus Papatum dimitteret; suæ enim o-
bedientiæ addictos nonnisi Sabaudos,
atque Helvetios numerabat. Præterea
in Pontificatu suo exurgebant graviores
curæ, ac erant illæ, quas declinare stu-
duerat, ob quas tamen, cum Princeps
aliunde probus esset, tranquillioris vitæ
gratia ditionum suarum imperium abdi-
cabat, suoque Filio Ducatum cedebat.
Eugenius quoque hac via plene voto-
rum suorum metam affecutus videbatur,
cum

Sæcul. XV. cum ab universali Ecclesia tanquam solus,
A.C. 1447. atque legitimus Pastor agnosceretur,
 tertio denique pacis hujus articulo Basileensibus quoque prospectum erat, quibus diuturnior mora in civitate Basileensi grave fastidium generabat.

§. CXLI.

Eugenii Papæ infirmitas.

Antonin. tit. Rex itaque Aquensi Archiepiscopo ad
22.c.11. §.17 Eugenium, & Basileenses ablegato, eosdem consilii sui certiores fecit. Verum vix Romæ urbis limina salutaverat Præsul, cum triste nuntium de morte Eugenii Papæ ad aures ejus allabatur. Jam jam lecto decumbebat adversa valetudine pressus, dum Imperatoris ac Germaniæ Principum Legatos exceperat, & quamvis Cardinalibus suis negotium perficiendi curam reliquisset, cuncta tamen Legatorum postulata ipse rata habuit, literasque Apostolicas hac super re confici decrevit.

§. CXLII.

Bulla Eugenii pro Germanis.

Bullar. to.1. Igitur Legatis Pontificis cubile ingressis,
Eugen. 1V. jurataque ei obedientia Æneas Sylvius
Const.29. Bullam jussu Papæ conceptam, quæ Eugenii postrema erat, eisdem consignabat. In
 ea